

D. XI

*Crismón* In nomine domini amen. Ego GARSIAS dei gratia Rex, nullius cogentis imperio, vel suadentis ingenio, una cum conjugē mea STEPHANIA REGINA, pro remedio et utilitate animarum nostrarum, sive parentum nostrarum, facio hanc cartam donationis et confirmationis, deo et beate Marie in partem helemosine quam ego in subsidiis pauperum componere curavi, de illis que in regno meo deo donante videor possidere. In primis; dono et concedo monasterium quod dicitur sancti Martini de castello cum omnibus suis appertinentiis, idest terras, vineas, ortales, pomares, pascuis, molinis, vel cum omnia sua adherentia vel pertinentia. Item Ecclesiam sancte Marie que est fundata ibidem et vicina illi suprascripto monasterio; simili modo concedo illi cum omni sua hereditate. Item Ecclesiam sancte columbe que similiter circum ei fundata est dono ab omni integritate cum omni sua appertinentia. Insuper concedo hiis qui regerint illam domum helemosine, ut in quantum deus adjuvaverit et addere potuerint in hereditatibus addant ut eis voluntas et posse fuerit, et sint libera et quieta ab omni servitio regali que fisco. Item dono in naiara duos molendinos qui sunt in barrio de tiendas ante domum sancte Marie, et dono sive persolvo in illa helemosina tota illa emenda de illa civera que vendita fuerit in illa civitate, et de omnibus aliis rebus similiter que ibi vendite fuerint in tota septimana, excepto de pisce maris, preter illo die iovis. Item similiter de illos dies quos ego rigare debeo de illas aquas de elesone et de Nagerella dono in illa helemosina, ut de vespera die lunis cum toto nocte et tota die martis usque ad vesperam aliam nullus riget de eas nisi illa helemosina. Item similiter concedo illi illam decimam partem telonei que acciderit in mercato in die jovis. De illo mercato de bekera tertiam partem telonei. Item vineam que fuit de vitale hebreo et eleazar que est in fontaneta similiter dono. Item hereditatem de Alesanco que fuit de renduri ubicumque invenerint eam, ut domus ejus vel hereditas deserviat helemosine. Item similiter unam sernam meam que est in Alesanco juxta ecclesiam sancti pelagii, ab integra potestate eam dono. Item Concedo etiam illi decimam de totas meas hereditates quas laboraverint in granioni, et in sua alfoce. Item in termino de la raga dono unum monasterium quod vulgo dicitur sancta Maria de berbenzana, cum omnibus suis hereditatibus et hiis suprascriptis divisio, idest de arga parte de liquerre usque ad illo monte de

parte la raga de petra ficta usque ad montem, et ex alia parte de petra fita usque ad summum montis transata illa aqua et de parte juso usque illa ripa nullis alienis interiacentibus terminis, preter hos suprascriptos terminos predicte ecclesie. Eo modo mando mea regali potestate, ut introitus suos et exitus suos habeat in totas partes sicut illi de la raga una cum eis, et ubi habuerint pasturas illi de la raga ita et ipsi habeant de berbenzana, et in illa aqua nullus habeat potestatem in quantum currerit in termino de ipso monasterio pro nulla causa nisi illi qui illud monasterium dominaverint. Ex ea auctoritate dono et confirmo deciman illius novene quam solent dare vel pectare illi homines de la raga de toto, et mando ut illo soto quod est de sancta Maria tale foro habeat sicut illo soto meo de la raga. Hec igitur suprascripta, et alia quecumque predicta domus arbergarie addere poterit vel augmentare; regali auctoritate una cum conjuge mea Stephania Regina factio et confirmo. Insuper addo et mando ut non sit in ea homicidio neque fossadera neque annutuba neque saione neque sigillo neque castellera nec super illos mesquinos nec super sus caseros nec super ullum hominem qui sub potestate et jure de illa arbergaria fuerint inquirat aliquis aliquos fueros, sed sit libera et ingenua sicut domus sancte Marie. Si quis aliud fecerit quam supra, continetur; sequenti subjaceat sententie. Determinatio vero domus arbergarie hec est quam Ego GARSIAS Rex cum conjuge mea Stephania Regina facio atque confirmo. Hoc est de porta lubrica ut deducit per tiendas usque ad illo rivulo sordido, et per ora rivi usque puenit ad illam casam quam comparavit Regina de galindo moza et alia casa de judas, usque ad illam portam antiquam ad illo azor de illos judeos. Has omnes suprascriptas donationes dono et confirmo tali testamento proponens, ut si quis ab hic et deinceps aliquis ex meis successoribus vel quibuslibet personis hoc meum donum vel decretum violari vel infringere ausus fuerit; ex parte dei omnipotentis et omnium sanctorum ejus sit anathematizatus et confusus. Insuper a fronte vivis careat lucernis. Excommunicatus autem et ab omni xristianorum cetu dejectus, atque a sancta matre ecclesia seclusus sub amara morte finiens vite terminum, cum omnibus principibus tenebrarum, vel cum juda traditore partem habeat in inferno inferiori, in secula amen. Ut hec scriptura stabilem obtineat roborationem; omnes filii mei et principes regni mei laudantes confirmant. *Subscriptions:* *Primera columna:* Dominus Sancius filius meus testis confirmat. Infans Ranimirus filius meus t. conf. Infans Raimundus

filius meus t. conf. Infans Ermisenda filia mea t. conf. *Segunda columna*: Joannes episcopus t. conf. Fortunio episcopus t. conf. Munio episcopus t. conf. Dominus Petrus abbas t. conf. *Tercera columna*: Fredinandus Rex galicie frater meus conf. Ranimirus Rex aragonie frater meus conf. Guter gutierez conf. Galindo Galindoz conf. *Final*: Deinde omnes obtimates palacii mei laudant et confirmant. Actum publice apud Najaram Regnante domino nostro ihesu xristo in celo et in terra, et sub ejus imperio Ego GARSIAS filius Sancii Regis in pampilona et in Naiara, in Alava, in castella vetula, in ERA. M.<sup>a</sup> LX.<sup>a</sup> III.<sup>a</sup>, VII.<sup>c</sup> X.<sup>o</sup> Kalendas maii, Luna VIII.

#### D. XII

*Crismón*. Sub nomine sancte et individue trinitatis quem ego fideliter credo summaque diligentia adoro, trinum in personis et unum in natura, qui cuncta dominatur elementa et vivens regnat per secula cuncta amen. Ego quidem GARSEA divino nutu Rex, concedo tibi conjux mea Stephania Regina, monasterio quod vocitatur sancte columbe virginis qui stat super ripam fluminis Alisone qui sistitur ad radicem montis quod vocitatur hero, qui est in territorio de senonas, que nunc nostris temporibus vocitatur iricum: concedo tibi illum jure perpetuo ut sit in tua potestate ad omni integritate cum omni pertinentia sua, decanias suas vel villas argizana et tor seka et font major, cum terminis, exitus atque regressus, seu pratis, pascuis. Hoc vero supra memoratum monasterium dono tibi [*entre líneas*: illud] cum omni herentia sua et ubicumque inveneris de omni pertinentia sua: sit in tua potestate jure perpetuo, et quicquid volueris ex eo voluntatem tuam adimpleas, et post obitus tui serviat ad monasterium aut cui tu dederis illum perpetim permansurum. Et hodie deinceps sit tibi hoc suprascriptum per secula possessurum, et si post me aliquis ex meo genere, filius, neptis, aut bisneptis aut qui ex mea propago venerit et voluerit hoc scriptum violare: careat binas lucernas ex fronte, et sit extraneus a consorcio xristianorum, et cum juda traditore habeat portionem. Insuper sit anathema maranata, amen. Ego vero Garsea dei gratia Rex qui hanc cartam jussi esa[ra]re, de manu mea adfirmavi et hoc signum roboravi, coram presentes hos testibus, et mater mea Regina domna Majore, vel fratri meo Regi domno Ranimiro presentes meis manibus roboravi. *Subscripciones*: *Primera columna*: Sancius nutu dei episcopus mailensis testis. Sancius gratia dei episcopus pampilonensis t. Senior Fortunii